huiuſmodi in aliquo facere, nec feciſſe, imo cum illius obſeruatione quo ad hoc, et pura, et ſana cõſciẽtia, ſine alicuius cõſciẽtiæ ſcrupulo vixiſſe eatenus, et in poſterũ viuere. Et ſic ſuper quoſcunq; iudices, ſublata eis et eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et diffiniri debere. Irritum quoque, et inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus, et declaramus. Et inſuper, vt pro tempore deputatos Confeſſores Fratres Ordinis Minorum obſeruantiæ huiuſmodi omnium quaruncunq; Diœceſum vtriuſq; ſexus Chriſti fidelium ad eos pro tempore recurrentium Confeſſiones audire: eoſque etiam in caſibus, et cenſuris, quibus eis per priuilegia Sedis Apoſtolicę, etiam per modum communicationis, et extenſionis quoruncunq; Ordinũ etiam Minimorũ hactenus conceſſum eſt, poſſe abſoluere, et ſinguli Ordines etiam Minimorum [quorũ priuilegia eidem Ordini Minorum ſunt communicata, et extenſa] abſoluere conſueuerunt, abſoluẽdi ac pœnitentiam ſalutarem iniungendi. et omni tempore pręterquam in die Reſurrectionis Dominicę Sa-